GODEFRIDUS ALTISSIODORENSIS. PETRUS DAMIANUS. SYMMACHUS. ODO MORIMUNDENSIS. FLORILEGIUM SANCTICRUCIANUM

Heiligenkreuz, 3. Viertel 12. und 1. Hälfte 13. Jh. Seite 47r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30390
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



me agnosco deuictum. Sed hoc ipso arbitror dignorem me esse
colloquio creberore quod hanc epistolam tibi reddo quasi fenore uic
tus litterarum.

Venturum te ad communem patriam fama promiserat. sperato gau
dio gloriabatur. Sed ubi de dierum processu rumorem intepuit.
animaduerti mihi hoc genus superesse solatii. quod ad scribendi usum.
moremque remearem. Fungor igitur salutatione dicenda. tuamque
excellentiam queso. ut mihi aduentum tuis pro litteris largiaris. Est enim
causa uotiua que te debeat euocare: questorium scilicet munus
filii mei. ad cuius officium te tuosque amor communis inuitat.

Scribis reuerentiam nostri apud omnes uigere.
Gaudeo huiusmodi testimonio. sed profiteor tua opera fieri.
ut taliter urgeatur existimatio mea. Tu michi es fautor
rumoris secundi. Neque hac tamen gratia uadatum me sentio. Nam il
lud etiam quod te presule processit ad commodum proximorum meorum
quamuis iusticie datum sit tibi tamen refertur acceptum. Cessa lon
gius pergere: quia in remunerandis beneficiis ieiuna est uberum
uicissitudo. Simul obstrepunt cure: quas officiis fami
liaribus tenuis patrie uictus opponit. Ero apud te post hac
loquatior: cum refouerit studium meum rei frumentarie securitas
instaurata.

Amo litteras tuas. nam semper gratulationes apportant. Ego
autem benefactis tuis nuda oratione respondeo. Sed ut est
preclara mens tua perinde has sibi existimant fructuosas. Et ideo hanc
operam perseuerantem aduigilo. quam scio apud te pro magno ere
censeri. Interea domino et principi nostro. eiusque in me beneficientie
egi per epistolam gratias. uerbis fortasse exiguas. sed affectione animi copio
sas. Quas si eximia unanimitas tua. et probata mihi amicicie fides
iocunda atque oportuna insinuauerit lectione non
uidebor ingratus. cum probauerit sicuti opto inuictissimus
princeps beneficia se huiusmodi apud memorem collocasse.